

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XX. De respectu speculi divini et candelabro.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

XIX. DE TRIBUS LOCIS ALLOCUTIONIS DIVINÆ.

TRIA sunt loca in quibus Deus animam loquitur. Primus est sensualitas, qui Deo, diabolo, omniq[ue] creaturæ pervius est juxta hominis liberam voluntatem. Secundus locus, quo Deus animam alloquitur, intra animam est, quo nullus ingreditur nisi solus Deus; ubi, cum Deus loquitur, magnum, virtuosum, velox ac unitivum verbum sensus exterior omnino non percipit neque novit; ubi adeo humiliatur quod nullam creaturam infra se valeat sustinere. Numquid ergo sub diabolo humiliare se debet homo? Utique, memorando quod similitudinem dæmonis frequenter peccando induit et quandoque criminaliter assumpsit, divinam a se contemnendo removit, sibi mortalia vulnera infligendo. Anima Spiritu Sancto plena [se cohibere non potest, imo] omnem terrenam declinat consolationem et [in consolatione] refugit voluptatem. Quæ vero proprium sequitur arbitrium, ad terrena flectitur, variis voluptatibus irretita. Tertius alloquendi locus est regnum cœlorum, cum Deus animam sursum elevat, cum deliciis sui amoris suspendens eam, ut suis mirabilibus delectetur.

VI. 33.

Eia, Domine Deus, miserere his qui hic in tui amoris ignibus sunt exusti, et his qui in humilitate ad nihilum sunt redacti. Respondit Dominus: Mea divinitas te exusit, mea humanitas te cognoscit, meus Spiritus in tua paupertate te sanctificavit. Qui multum amant, libenter tacent; qui non amant, observare amantes solent.

VI. 25.

XX. DE RESPECTU SPECULI DIVINI ET CANDELABRO.

AMANS anima æternum respiciens speculum dicit: Inter me et te, Domine, pulchra sunt omnia; et inter damnatas animas et earum sponsum maledictum diabolum cuncta

III. 11.

sunt horribilia et crudelia; et cum in mentem venerit amabilis Jesus, contremiscunt et renovatur in ipsis cruciatio infernalis.

III. 12. Pauper eram, Domine, cum nec meditari, nec orare, nec amare poteram. Conabar tamen ad te. sensibus exulibus, et dixi: Eia, Domine, quomodo nunc honorificabo te *et laudem tribuam nomini tuo?* Tunc dixisti indignissimo homini quem creasti: Laudem nomini meo pro defensione fidelissima decantabis; gratiarum actiones mihi refundes pro largissimis donis meis; desiderium tuum mirabilium meorum dilatabis; finem perfectum et exitum hujus vitae beatum precibus impetrabis. Interrogavit ergo anima cum timore nobili *reverenter*: Quae sunt mirabilia quae desiderare jubes, Domine? Quae deinceps scripta sunt, scribo cum lacrymis; adjuvet me Deus [omnium pauperrimam], ut cum Jesu permaneam. Et dixit Dilectus ad me: Ponam lumen super candelabrum¹, et omnes oculi qui hoc intuentur, ex hoc lumine radium splendoris in suae cognitionis oculis percipient specialem. Interrogavi iterum cum humilitate magna absque timore: O Dilecte, quale erit candelabrum? Et dixit Dominus ad me: Ego sum lumen, et candelabrum est pectus tuum.

XXI. LAUDAT SPONSUS ET HUMILIATUR ANIMA.

II. 12.

ANIMA Deum sitiens mundana libens caret gloria; non affectat ab hominibus reverentiam, solitudinem amplectitur, quietem querit; in imo permanet per humiliationem, in supremo per amorem, dilatatur ubique per communicationem.

II. 13.

Inter te et Deum, o anima, maneat continua charitas; inter te et creaturam cum timore admiratio; inter te et peccatum pugna et detestatio; inter te et coelum suspirans affectio.

II. 16.

Abyssus es per desideria ardens per amoris incendia, amabilis in tua praesentia, speculum mundi, [parva] præ magnitudine, fidelis adjutorio, collecta in Deo.

1. Cf. Legatus S. Gertrudis in Prologo.